

corporea ex se non habet partes, & ex se non est quanta: sequitur, quod nullo superueniente, possit esse partibilis, nec etiam possit esse quanta: quia nec ex se ipsa, nec ex adyto: hoc autem est falsum: ergo, &c.

4. Argum. Quarto, illud, quod de se non est quantum, cuiuscunque diuisibili subest; oportet, quod toti subest totum, & cuiuslibet parti: sed substantia corporea non subest tota cuiuslibet parti formæ diuisibilis, & tota toti: ut patet: ergo ex se ipsa, & essentialiter, habet partes: sed hoc est esse quantum, & extensum: quia quantitas est, cui primo conuenit habere partem, & partem, eiusdem rationis, ex quinto Metaph. ergo.

2. Sentent. Doctoris. Nota. Secunda, & opposita sententia est communis omnium Realium cum Doctore quinto Metaph. quæst. 9. & in secundo sent. dist. 2. quæst. 9. pro qua breuiter notandum, quod nec substantia, nec aliquod accidens materiale est de se quantum, & extensum, quætitatiue præter ipsam quætitatem: sola enim quantitas secundum se, & essentialiter, est quanta: reliqua uero solum accidentaliter, ac denominatiue: unde quantum, & quantitas, idem profus important, in sensu materiali: ut supra art. 1. diximus.

Conclusio. Dicendum: quantitas realiter distinguitur à quacunque re, quæ quanta denominatur: probatur primo, ex Arist. primo Physicorum text. 15. contra Parmenidem, & Melisum: si igitur substantia est, & quantum est: duo, & non unum est. Et quarto Physicorum text. 76. ubi inquit: quantitas & substantia, duo Prædicamenta sunt impermixta, & separata. Probatur etiam per August. quinto de Trinitate, ubi probat: quod magnitudo, & figura, & color, non sunt idem: quia uno variato, vel non manente, manet aliud: & similiter etiam est de substantia, & quantitate. Patet etiam per Boetium de Trinitate ponentem substantiam, & quantitatem, & qualitatem, esse tres res absolutas realiter & essentialiter distinctas.

Secundo, probatur ratione: illa non sunt essentialiter idem, quorum unum est substantia, & reliquum est accidens: sed substantia corporea est substantia, & quantitas est accidens: ergo.

Tertio, illa non sunt essentialiter idem, quorum unum potest existere in re, & in effectu sine alio: & è conuerso: sed quantitas substantiæ corporeæ potest esse, non existente ipsa substantia: ut patet in Eucharistia: ubi non manente substantia panis, manet quantitas: & è contra, potest esse substantia, sine quantitate: ergo.

Quarto, illa non sunt essentialiter idem, quorum unum manet idem, & alterum variatur, sed planum est, quod per motum rarefactionis quantitas augetur: ita quod plus est ibi de quantitate: quam prius, & non est ibi plus de materia, vel substantia corporea, quam ante: & similiter de motu condensationis suo modo: ergo, &c.

Quinto, illud, quod præsupponitur, ut subiectum mutationis, ad aliquam formam, distinguitur essentialiter ab illa forma; sicut & ab illa mutatione: sed substantia corporea præsupponitur, ut subiectum, in mutatione ad quantitatem, puta in augmento: ergo, &c.

Sexto, si substantia corporea est idem essen-

tialiter cum quantitate: ergo & generatio cum augmento pari ratione est una mutatio: & tunc quidquid generatur, augmentatur: & è conuerso: hoc autem est falsum: ergo.

Ultimo, si substantia extensa est idem cum sua quantitate: pari ratione quælibet forma extensa: & sic quælibet habet propriam quantitatem: ergo cum in eodem subiecto sint simul plures formæ extensæ: sicut color, sapor, &c. & subiectum ipsum, & omnia, sint in eodem loco: sequitur, quod plura corpora sint naturaliter in eodem loco: quod est contra miraculum de Natiuitate Christi, & Resurrectione, & Introitu eius ad Discipulos, clausis ianuis: ergo, &c.

Ad argumenta Nominalium unica solutione fit satis: fatemur enim substantiam ex se habere partes extensas extensione entitatiua: quæ sufficit ad omnia in argumentis postulata: & hæc pro ista quæstione sufficiunt: nam difficultates, quæ moueri possent de unitate, quæ est principium numeri; & de punctis, an component lineam: & an linea, superficies, & corpus, sint species quantitatis continuæ: & an numerus sit unum ens per se; & vera species quantitatis discretæ, partim in sequentibus quæstionibus, & partim in Physica, elucidabuntur.

Ad argu.

QVÆST. II.

An oratio sit quantitas discreta?

Est autem discreta quantitas, ut Numerus, & Oratio. Cap. eod.



VERITVR: AN ORATIO SIT QUANTITAS? Videtur quod nõ: quia non oratio in scripto: illa enim est substantia: non in mente: quia illa est in non quanto,

& neutra mensurat per se: & Arist. exponit se de neutra harum intelligere: non oratio in voce: quia illa est per se sensibilis: quia vox: igitur est in tertia specie qualitatis.

Ad oppositum est Aristoteles.

Quæritur: utrum Oratio sit quantitas discreta? Quod non videtur: quia breue, & longum, sunt differentie quantitatis continuæ: Oratio mensuratur secundum has, per Arist. in littera: mensura-

tur

tur enim syllaba breuis, & longa: igitur &c.

Dicitur, quod syllaba est breuis, & longa: non oratio.

Contra: tunc continuu est per se pars discreti.

Item, sumatur maior sic: omne per se mensurans secundum has differentias, breue, & longum, est continuum: oratio est huiusmodi: licet non sit longa.

Item, si esset quantitas discreta, non uideretur differre specie, à numero: quia in nulla differentia specificata.

Dicitur: quod quantitas discreta, ut in materia permanente, est numerus: quia numerus causatur ex diuisione continui: ut in successiua, est oratio: quia orationis nulla pars permanet.

Contra: hoc concedit propositum, quia differentia secundum speciem est differentia formalis: hæc si sic tantu differant, in nullo formali differunt: igitur nõ specie.

Item, falsum dicitur: quia successio, & permanentia, sunt differentie posteriores motu, & quiete: igitur & ente naturali: in quantum naturale: sed quantitas, quantum ad totum genus, est naturaliter prius ente naturali: in quantum naturale: igitur successio, & permanentia, sunt multo posteriora toto genere quantitatis: igitur non sunt differentie specierum in hoc genere.

Item, numerus applicatur materie successiue: sicut permanenti: igitur non omnis numerus est quantitas in materia permanente: antecedes patet exemplo: ut dicimus: duo tempora, duo dies, & ratione: quia continuum aliquod est successiuum: igitur ex eius diuisione causatur numerus.

Item, tunc non differret Oratio à tempore, quod est numerus motus: & ita quantitas discreta in materia successiua.

Ad oppositum est Aristoteles.

Dicendum primò. Ad primum quæsitum: quod oratio est quantitas, propter auctoritatem Aristot. quia syllaba mensuratur breuis, & longa: igitur huius est mensura alia per se: illud est oratio, quæ fit cum voce prolata: illam autem dico habere discretionem appropriatam orationi, per eius differentiam specificam; quæ differentia, nec scripta est; nec pro-

Alias nom.

lata, nec in mente, nec actus preferentis: quia ille mensuratur tempore, nec partes discretæ, sed discretio, non est communis numero, & orationi: sed orationi appropriata.

Ad secundum quæsitum dicendum: quod est quantitas discreta: quia partes eius ad nullum commune terminum copulantur: quælibet enim syllaba est ab alia diuisa: nec actus preferentis, nec significatum eas continuat: quia terminus per se continuans partes quantitatis non est essentialiter extra illas: sed hæc duo sunt essentialiter extra partes orationis. Similiter hæc oratio potest esse ubi significatum non est: ut coniungendo voces non significatiuas: & ibi nullum est significatum.

Ad primum argumentum potest dici: quod longum, & breue: æquiuocè conueniunt continuo, & discretor: huic, scilicet, continuo; proprie: illi transumptiue: omne igitur mensurans per se, secundum hoc proprie sumptum, est continuum: huiusmodi non est oratio: æquiuoca enim est longitudo syllabæ, & mensurari à linea.

Ad secundum dico: quod oratio essentialiter difert à numero, & à quacunque specie quantitatis, non tantum differentia materiali, sed formali, & specifica: illa tamen non est nota: imo vix aliquis speciei specialissimæ est nobis differentia nota: quia si esset, non posset esse verum, quod dicitur secundo Posteriorum: quod quælibet pars definitionis debet esse in plus; omnes autem in æquo: hoc autem non conuideret; si ultima differentia esset nota: illa enim, cum sumatur à propria forma speciei, nullo modo est in plus speciei: igitur illud dictum est verum: quia differentie ultimæ fore omnium diffiniendorum ignote sunt.

Text. com. 17.

Summa textus.

DIVISIT Philosophus quantitatem in continuam, & discretam; & istam, in numerum, & orationem; probans primo hæc subdiuisionem; quam de quantitate continuæ tradit; quem ordinem insequens Doctor, postquam determinauit in quæstione præcedente quantitatem in commune esse genus unum generalissimum, ut ibi tradita magis eluceant; in præsentia quæstione, quæ ex duabus (sicut & præcedens) integratur, inquit: An ora-

ora.

oratio sit quantitas discreta, & vera species in hoc Prædicamento collocata: Et parte negatiua aliquibus rationibus, ostensa, pro affirmatiua, duplici conclusione respondet.

1. Concluf.

Dicendum primò. Oratio est quantitas: probatur primò: tàm auctoritate Aristotelis: tàm etiam ratione: quia syllaba mensuratur breuis, & longa: igitur talis syllaba debet dari aliqua mensura per se, quæ mensuretur: sed talis est oratio, quæ simul fit cum voce prolata, & includit discretionem sibi, per quandam differentiam specificam, appropriatam; quæ quidem differentia nec est scripta, nec prolata, nec in mente, nec est actus proferentis, nec partes discretæ ipsius syllabæ; sed est discretio; non quæ est communis numero, & orationi, sed quæ orationi est propria, ac vera differentia eius.

2. Concl.

Secundò dicit. Quod oratio est quantitas discreta, & vera species à numero, & à reliquis speciebus quantitatis essentialiter distincta, per differentiam nobis ignotam. Hanc probat etiam Philosophi auctoritate: & ex diffinitione quantitatis discretæ in communi: nam partes orationis nullo communi termino copulantur: quia nec actus proferentis, nec significatum dictionum eas continuare potest, non ille: quia est extrallass, nec istud: quia oratio etiam in vocibus non significatiuis subiektatur.

Tandem soluit argumenta in oppositum, quorum solutiones claræ sunt. Nos autem circa hanc quaestionem, non solum de ipsa oratione, sed etiam de numero disputabimus: ut numeri natura cognita, essentialiter orationis facilius penetremus. Ideò enim Doct. hic de numero nõ egit: quia orationis natura cognita, numerus statim innotescet.

ARTIC. I.

An vnitas numeralis sit aliquid posituum reale?

1. Sentent.

Quæ communiter dicitur, numerum ex vnitatibus coalescere; prius hanc difficultatem discutere opus est: in qua prima sententia est Durandi in primo dist. 24. Magistri Soro in hoc ca. quaest. 1. Soncinatis 10. Metaph. quaest. 2. Suarez 1. tom. Metaph. disp. 4. sect. 9. & Aliorum asserentium vnitatem numeralem formaliter esse aliquid negatiuum, seu in negatione consistere: quam sententiam probant primò. Ista vnitas superaddita, per vos, vel est relatiua, vel absoluta: neutrum istorum: ergo non est entitas positua: probò minorè, non est relatiua: quia quantitas non fit vna per relationem: imò adueniente relatione, iam quantitas est vna: nec est absoluta: quia tunc, vel esset quantitas continua, vel discreta: partes enim, & totum, ad idem pertinent genus, non continua: quia tunc nihil adderet continuo, quod est intentum, nec discreta: quia tunc iam multitudo ex discretis componeretur: & sic esset processus in infinitum: quia tale discretum componens debet habere partes discretas: & sic de alijs,

2. Argum.

donec ad aliquod continuum deueniamus. Maxime quia vnitas dicit formaliter indiuisiõnem; discretum vero diuisiõnem: ergo vnitas numeralis non est quantitas discreta: ac per consequens, cum non sit quantitas, non est aliquid posituum.

2. Argum.

Secundò, si hæc vnitas est aliquid posituum super additum: sequitur, continuum esse minus vnum cum illa, quam sine illa: consequens est contra naturam vnitatis: quia cum der esse vni; debet res esse magis vna per illam, & non minus vna: ergo & antecedens. Sequella probatur: illud est magis vnum, quod est magis indiuisum: sed continuum, sine illa vnitare addita, est magis vnum: quia sine illa non est diuisibile: & cum illa est diuisibile in propriam entitatem, & in ipsam vnitatem: ergo sequitur, continuum esse minus vnum cum vnitare, quam sine illa, ac per consequens vnitatem potius reddere diuisibile, quam indiuisibile.

3. Argum.

Tertiò, vnitas transcendentalis solum enti addit negationem: ergo & vnitas numeralis tantum negationem addit continuo. Antecedens probatur: nam si illud vnum est aliquid posituum; erit ens: & ita erit vnum, & tunc inquiri de alio vno, & sic in infinitum: ergo, &c.

2. Sentent. Doct. 1.

Secunda sententia est Doct. quarto Metaph. quaest. 2. & omnium suorum ibidem, quos sequitur Iabellus quaest. 8. cum Capreolo in primo dist. 24. Murcia, Didacus à Iesu in hoc cap. & alij quam plurimi, qui omnes asserunt vnitatem numeralem addere supra continuum entitatem posituam ab ipso continuo ex natura rei distinctam: pro qua notandum primò, quod vnitas, seu vni, capitur duobus modis: vno modo simpliciter, & absolute, communiter, & large: & sic est passio entis simplex conuertibilis cum ente sic: quod de quocunque dicitur ens, dicitur & vnum, & talis vnitas est passio entis transcendens: vnitas secundo modo, & stricte sumpta, ac secundum quid, est principium numeri, & oppositum multitudini: & ut sic, est passio entis distincta. Et de vtraque vnitare inquirimus in præsentia: An sit aliquid posituum: An priuatiuum tantum, hoc est: An sit posituum, quo ens ponatur proprie esse ipsum; & non alterum: An tantum dicat hoc vltimum: ita exponit titulum Articuli Antonius Trombeta in Metaphysica sua.

1. Notan.

2. Notan.

Secundò notandum: quod vnitas secundo modo, id est, stricte, & secundum quid sumpta, non est idem formaliter cum vnitare transcendentali: nam licet vtraque sit entitas positua, ad quas priuatio diuisiõnis consequitur: nihilominus talis in diuisio, diuersimodè consequitur ad vtramque: indiuisio enim, quæ ad vnitatem transcendentalem consequitur, est priuatio diuisiõnis large sumpta, prout indistinctionem, seu priuationem distinctionis importat: quæ in diuisio penes diuisiõnem formalem, quæ fit per differentias vsque ad vltimum contrahibile, seu determinabile, quale est ens; ac etiam per differentias indiuiduales, attenditur: & hæc vnitas est principium numeri transcendentalis, qui proprie distinctio multarum quidditatum, seu entium appellari potest. At vero vnitas stricte sumpta ac-

tenditur penes diuisiõnem proprie dictam, quæ tantum in rebus quantis reperitur: & vnitas, vt sic, dicit in diuisibilitatem in partes extensas, & priuationem multitudinis, seu pluralitatis, ad quam, vt ad numerum pertineat, aliqua conditiones requiruntur: prima, quod quælibet vnitas sit eiusdem rationis: secunda, quod quælibet sit ab alia distincta: ita vt altera alteram non includat: tertia, quod sit potentialis, seu materialis, respectu numeritæ Doct. in 1. dist. 24.

3. Notand.

Tertiò notandum: vt magis priuatio multitudinis in vnitare resplendeat: quod multitudo vno modo considerata est prior vnitare: & alio modo est posterior, non enim inconuenit idem secundum diuersas rationes esse prius, & posterior: multitudo namque duo importat, diuisiõnem, & aggregationem diuisorum; hæc ipsa diuisa simul sumpta: si multitudo consideretur quoad diuisiõnem, sic est prior vnitare secundum nostrum intelligendi modum: quia quod est sensibilis, est nobis notius eo, quod non sic est sensibilis: pluralitas, seu multorum diuisio, est huiusmodi, respectu indiuisibilis, quod est vni: igitur quoad nos multitudo est notior, quam vnum: nec sic diffinitur multitudo per vnum: led è contra; dicendo vnum est, quod non diuiditur: & in hoc sensu vnum est indiuisibile, & priuationem multitudinis includit consequenter: attamen multitudo secundum se considerata, vt aggregat vnitates, seu ipsa diuisa, est prior vnitare; & per ipsam diffinitur; dicendo: multitudo est aggregatio vnitatum: in quo sensu intelligendi sunt Arist. ac Doct. Subt. quinto Metaph. text. 12. & decimo Metaph. text. 2. quando dicunt: vni esse mensuram numeri, seu multitudinis, & multitudinem per ipsam vnitatem diffiniri.

4. Not.

Quarto notandum: quod tam vnitas transcendentalis, quam prædicamentalis, dicunt indiuisiõnem in se, & diuisiõnem à quolibet alio. Vnde ordo ille, qui ex natura rei inuenitur; vt vnitas transcendentalis sit numeri principium, idem seruari debet in vnitare numerali respectu numeri prædicamentalis: seruatur igitur talis ordo in prima vnitare: nam primo est ens, quatenus à non ente distinguitur: quia, vt ait Doct. quarto Metaph. super textum quartum, radix diuisiõnis formalis est oppositio contradictoria. Secundò, intelligitur diuisio entium. Tertiò, consequenter vnum, in entibus distinctis, quod vnum priuat diuisiõnem formalem, seu est, quo ipsa entia redduntur indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio. Vltimo tandem intelligitur multitudo ex vnitatibus aggregata: quamvis enim, quæ sic diuisa sunt, multa sint; non tamen habent rationem multorum, nisi postquam isti, & illi enti, attribuitur, quod sit vnum; id est, indiuisum in se, quod est prima negatio, & diuisum ab omni alio: quod est secunda. Sic similiter in proposito: prius intelligitur ens quantum ab alio quanto diuisum. Secundò, quantum diuisio. Tertiò, ratio vnus in illis quantis diuisis, qua ratione indiuisibilia in se; & diuisa à quolibet alio redduntur. Quarto, tandem intelligitur ipsa multitudo, seu pluralitas, de cuius ratione est diuisio, seu esse diuisam.

Vltimo notandum, quod multitudo vnitas quæ est duplex: alia, quæ aggregatur ex vnitatibus incorporeis: vt multitudo Angelorum, & Animarum; hæc proprie ex vnitatibus numeralibus non constat. Alia est multitudo constans ex vnitatibus quantitatibus mollem habentibus: & hæc est, quæ ad numerum conducit: & tales vnitates sunt proprie prædicamentales; significantque ipsam quantitatem mollem continuam, vt vnam, & indiuisibilem.

1. Concluf.

Dicendum primò. Si vnum sumatur stricte, & vt prædicamentale, & vnum, non dicunt eandem naturam conuertibiliter: secus, si vnum sumatur large. Prima pars probatur: quæ cumque prædicatur conuertibiliter, de quocunque prædicatur alterum; debet & aliud prædicari: sed ens prædicatur de multitudine: ergo & vnum debet de multitudine prædicari: hoc est falsum: nam principium multitudinis non potest de ipsa multitudine prædicari: ergo, &c.

2. Concluf.

Secundam partem probò: nam de quocunque prædicatur ens, prædicatur & eius passio: sed vnum large sumptum est passio entis: ergo conuertitur cum ente: sed multitudo est ens: ergo est vna. Dicendum secundò. Vnum, quod est passio entis; dicit formaliter aliquid posituum aliud ab ente: hæc est Doct. quarto Metaph. quaest. 1. & suorum ibidem, contra Commentatorem decimo Metaph. com. 9. & alios, quos refert, & sequitur Suarez primo tomo Metaph. disput. 4. sect. 1. num. 6. Probatur primò: quod attribuitur perfectissimo enti, non est priuatio: sed hæc vnitas est huiusmodi: quia Deus est sumus vnus: ergo hæc vnitas non est priuatio: ergo est aliquid posituum aliud ab ente.

Secundò. Perfectio simpliciter nullam dicit priuationem: quia est quid melius ipsum, quam non ipsum; secundum Anselmum Monologion 15. led vnitas est perfectio simpliciter: quia in quolibet melius est esse vnum, quam non vnum: ergo vnum non dicit formaliter priuationem.

Tertiò: nulla priuatio suscipit magis, & minus: cum sit simpliciter non ens: sed quantum ad suum esse formale vnitas suscipit magis, & minus: quia simplex est magis vnum, quam compositum: ergo vnitas non est priuatio: sed aliquid posituum, ad quod consequitur priuatio indiuisiõnis: & hoc tantum probant argumenta, quæ ab aduersarijs contra hanc conclusionem fieri possunt: solum enim probant vnitatem consequentiæ negationem importare.

3. Concluf.

Dicendum tertiò: vnitas numeralis, & quæ est principium numeri, addit aliquid posituum continuo indiuisibili, cuius est vnitas: est Doct. 1. vt sup. & aliorum, quos pro secunda sententia retulimus: & probatur primò: quod est mensura entis positui, & primum metrum in genere quantitatis, non est pura priuatio: patet: quia mensuratum essentialiter dependet à mensura: sed vnitas est mensura intrinseca numeri, ex 10. Metaphys. text. 21. ergo talis vnitas nõ est pura priuatio.

Secundò: nulla negatio aduenit alicui, nisi per aliquam affirmationem, & per positionem ali-

alicuius positiui, sed indiuisibilitas aduenit continuo ratione vnitate: ergo vnitas est aliquid positium.

Tertio, continuum cum tali vnitate est pars materialis numerit ergo vt sic est omnimodè aliquid positium. Consequentia patet: quia forma, & subiectum, debent entitatiue proportionari: sed numerus est forma positiua: ergo & subiectum numeritale est continuum, vt vnum indiuisibile: ergo vnum prædicamentale est aliquid positium reale.

4. Concluf.

Dicendum quarto. Vnitas numeralis distinguitur ex natura rei ab ipso continuo, cuius est vnitas: hæc est supra dictis conformis contra Magistrum Murcia, & alios, quos ipse citat, quam sic ostendo: sicut se habet vnitas transcendentalis ad ens; ita se habet vnitas numeralis ad continuum; quantum ad distingui: sed vnitas transcendentalis distinguitur formaliter ab ente: ergo & vnitas numeralis à continuo: maior patet: quia tam in ente, quam in continuo, est similis ratio indiuisiōis: minor probatur, ibi est distinctio formalis, vbi dantur distinctæ formalitates, sed alia est formalitas quanti continui, & alia formalitas indiuisibilitatis: ergo distinguuntur formaliter, minor patet: nam alia est entitas continui, vt sic, & alia, vt consideratur, vt vnum indiuisibile, & vt pars materialis numeri: ergo.

Secundo argumentor ad hominem contra Murcia: vnitas numeralis, per se, est aliquid positium, & non aliquid superadditum ipsi, sed est essentialiter, & formaliter ipsamet essentia continui. Tunc sic: si formaliter sunt idem: sequitur, quod sicut continuum, vt sic, est diuisibile, quod etiam sit diuisibile, in quantum vnum: quia vbi datur eadem entitas quantitatis formaliter; necessario debet dari eadem quantitatis passio, & diuisibilitas: & sic continuum, in quantum vnum, non erit indiuisibile: & ita erit diuisibile, in quantum vnum; & non erit diuisibile: quod est contradictio. Vel si in quantum vnum est indiuisibile: inquirō, vel per vnitatem positiuam superadditam: & ita nobiscum sentis, vel tantum per priuationem diuisiōis: & sic tibi contradicis, vel tantum per ipsam quantitatem, cuius est vnitas, & ita reddit primum inconueniens.

Vlt. concl.

Dicendum vltimo. Vnum, & multa, contrarie opponuntur; & ex consequenti priuatiue: est Doctoris decimo Metaphysic. super textum nomen, contra Commentatorem vbi supra: & probatur ex præcedente: vnitas est vna forma absoluta, & similiter multitudo: ergo non possunt contradictorie opponi: quia talis oppositio est inter ens, & non ens: nec relatiue, cum sint formæ absolutæ, nec priuatiue, cum quælibet sit forma positiua: ergo opponuntur contrarie: cum tantum sint quatuor oppositionum genera.

Dices: vnum contrarium non constituit aliud contrarium in esse: sed vnum constituit multa in suo esse: quia vnitas est pars, & principium multitudinis: ergo non opponuntur contrarie, vel si opponuntur; tantum erit relatiue: si-

cut mensura, & mensuratum: vt fatetur Doctor, vt supra.

Respondeo: quod vnum, & multa, opponuntur; quatenus secundum proprias formas considerantur: & non prout vnum est pars multitudinis. Nec est inconueniens, vt aliquid secundum vnam rationem sit oppositum illius, cuius secundum aliam est pars. Exemplum: corpus secundum se absque anima habet aliquam formam propriam: & vt sic, opponitur animali: sicut inanimatum animato: si vero corpus consideratur vt pars animalis, & vt informabile per animam, sic non opponitur animali, sed est pars eius potentialis. Similiter de duabus numeri speciebus, v.g. de Binario, & Ternario: si considerentur secundum se, opponuntur: si vero, vt vna includit aliam, tanquam partem, tunc non opponuntur. Sic in proposito dicendum est: & per hoc ad illud de oppositione relatiua: nam non est inconueniens, vt sub diuersis rationibus, idem subiectum diuersas oppositiones fundet.

Ad argumenta: ad primum dico, quod illa vnitas est entitas, & quantitas absoluta indiuisibilis realiter cum continuo identificata, & reductiue ad continuam quantitatem pertinens: per accidens autem ad discretam tanquam subiectum numeri discreti.

Ad primū.

Ad secundum (omissa solutione Didaci à Iesu) respondeo: continuum dupliciter considerari posse: vel vt continuum est; vel vt est subiectum numeri: primo modo est vnum propria vnitate: secundo modo, est vnum; & indiuisibile hac vnitate: & sic non est magis, aut minus, diuisibile respectu huius vnitatis.

Ad secundum.

Ad tertium nego antecedens: ad probationem dico: quod vnum est ens quidditatiue, & ratio, qua ipsum ens est vnum. Cæterum cum ens nec sit vnum, nec multa vnum includit ens secundum entitatem, non vero secundum vnitatem: quare nec est processus in infinitum, nec argumentum concludit magis contra nos, quam contra eos, qui ponunt ens quidditatiue de suis passionibus prædicari.

Ad tertium.

ARTIC. II.

An numerus sit vnum ens per se reale à rebus numeratis realiter distinctum?

IN hoc articulo perdifficili quatuor sunt celebres sententiæ: prima, quæ à Doctore in primo Reportationum dist. 24. tertio loco ponitur, est Magistri sententiarum in primo dist. 24. quem sequuntur Suarez 2. tomo Metaph. disput. 41. sect. 1. numero 18. & Gabriel Vazquez prima parte disput. 118. cap. 3. & alij non pauci, qui omnes tenent, numerum formalem, seu quantitatum, pro formali, & vt est vnum per se, esse aliquid rationis. Itaque partes continui extra animam sunt diuisæ, quarum vnitas formalis est ab anima tantum: nam anima potest accipere ali-

1. Sentent.

aliquam multitudinem partium, vt vnum intelligibile, & negociando circa illam per actum suum potest per vnâ partem illius multitudinis mensurare totam multitudinem intellectam; & sic eam cognoscere: & istam multitudinem sic cognitam, & mensuratam, potest applicare ad multitudinem, quæ est extra, quæ non est vera: sed tantum, hoc, hoc, hoc: & ipsam mensurare per multitudinem, quæ multitudo extra, sic mensurata à multitudine intellecta denominatur numerus à numero, qui est in anima.

Et si quæras: quomodo ergo numerus est species quantitatis, quæ est Prædicamentum reale absolutum?

Respondet Magister: quod sicut secundum Philosophum ens diuitur in ens reale, & ens rationis; & relatio in relationem realem, & relationem rationis: sic quantitas sui prima diuisiōe diuiditur in continuum, vt in speciem, & ens reale: & in discretam, vt in speciem, & ens rationis, quæ ante est in anima, quam anima inuenit surer aliquid sui, & illi potest anima nomen imponere; & significabit primo, illam quantitatem, quæ est in anima, & denominatiue potest prædicari de multitudine, quæ est extrinsecam; quæ tantum est, hoc, hoc, hoc: quæ sine anima non habet aliquam formam vnitatis numeralis.

Aliter respondent Suarez, & Vazquez; dicentes: ille, quod in pluribus quantis datur numerabilitas, quæ est denominatio quædam à facultate animæ potentis numerare, seu mensurare multitudinem vnitatum, easue per modum vnus numeri conciperet. Ille vero, quod in numero datur ordo prioris, & posterioris: est enim ordo inter primam, secundam, tertiam, & reliquas vnitates, ratione cuius dicuntur numeri differre: qui quidem ordo est per intellectum nostrum: sicut enim incipimus numerare ab hac vnitate, possumus ab illa initium sumere: vnde cum ex natura rei non sit talis ordo in rebus ipsis; sequitur, eam rationem, qua essentialiter completur multitudo in ratione numeri, esse per intellectum nostrum. Hæc conclusio sic explicata probatur ex Aristotele quarto Physicorum text. 131. capite decimo quarto, dum ait: si id, quod numerare debet, esse non potest, nec numerabile quidquam esse potest. Vbi fatetur videtur numerum non esse extra animam. Quod clarius ostendit ibidem, dum dicit: impossibile est, quod sit numerus: si impossibile est, quod sit intellectus.

2. Sentent.

Secunda sententia asserit numerum esse vnum reale per aggregationem: ita vt numerus ternarius sit solum tres vnitates, vt sunt à parte rei. Ita sentiunt Nominales in primo distinct. 24. Fonseca quinto Metaphysic. cap. septimo questione quinta sectione secunda. Albertus octauo Metaphysic. tractatu primo capite quarto. Oñia in Prædicamentis questione de Quantitate articulo quarto, quos sequitur ex nostris Hieronymus de Valera lib. secundo distinct. quarta questione quarta citatque pro se Doctorum in primo distinct. 24. sed immerito, vt vide-

bitus: eandem sententiam amplectantur Suarez, & Vazquez, vt supra, quam probant primo ex Arist. octauo Metaph. text. 10. dicente: aut numerus vnum non est; sed velut cumulus: aut si sit, dicendum est, quid nam illud sit, quod efficit vnum ex multis. Et decimo Metaph. text. 10. ait: numerum esse multa vnâ & text. 4. numerus est multitudo vnitatum: quæ definitio desumpta est ex lib. 7. Elem. Euclidis.

1. Argum.

Secundo probatur à Doctore in Reportatis vt supra, arguente contra opinionem Arist. quæ est in ordine secundæ: sic partes, quæ non habent maiorem vnitatem in toto, quam haberent, si nõ essent in toto, non sunt partes alicuius totius, quod est per se vnum: sed vnitates alicuius numeri non habent maiorem vnitatem per hoc, quod habent discretionem in numero, quam si quælibet esset per se sine alia: ergo non sunt partes alicuius totius, quod est per se vnum. Maior patet: quia subiectum includit prædicatum: si enim essent partes alicuius totius, haberent maiorem vnitatem in illo, quam si essent per se, & seorsum minor probatur: quia vnitates faciunt numerum, vt discretæ, & distinctæ adinuicem: cum de ratione quantitatis discretæ sit, quod illius partes, vt illius partes sunt; non copulentur termino communi: & ob id duæ partes eiusdem quantitatis non efficiunt numerum simpliciter: quia est res distinguantur vniantur tamè termino communi: sed quælibet seorsum sine alia est etiam discreta, & distincta ab alia: ergo non habet maiorem vnitatem per hoc, quod habet discretionem in numero, quam si quælibet esset per se sine alia.

2. Argum.

Tertio, impossibile est formam absolutam aduenire alicui de nouo, sine sui, sine alterius, mutatione: sed si sex lapidibus, vel vnitatibus, facientibus numerum senarium, addatur vnus lapis, vel vnitas, per generationem, vel creationem; sex priores vnitates desinunt esse sub forma senarij, & incipiunt esse sub forma septenarij: ergo si forma septenarij est forma absoluta; & sex vnitates lapidum non mutantur per hoc, quod generatur septimus lapis: sequitur; numerum non posse realiter esse vnum per se, sed per aggregationem.

3. Argum.

Quarto, si numerus esset vnum per se, à rebus numeratis distinctum; esset accidens ergo esset in diuersis subiectis: quod impossibile videtur.

4. Argum.

Quinto, si numerus esset aliquid vnum per se distinctum à rebus numeratis, sequeretur, quod ex duobus binarijs eiusdem speciei; coniceretur alius binarius: & cum iste cum illis faciat numerum, resultabit quaternarius: & sic in infinitum: ergo, vt hoc vitetur, dicendum est numerum esse vnum per aggregationem, & non vnum per se realiter à rebus quantis distinctum.

5. Argum.

Sexto, arguit Suarez assertione secundæ: Sicut quantitas continua intelligitur esse vna præcisè ex indiuisiōe: ita quantitas discreta intelligitur esse numerus præcisè ex diuisiōe singularum partium continuarum, quæ diuisio supra terminos singularum quantitatum; solum addit negationem termini communis: ergo

6. Argum.